

tiam, respectu rerum omnium providendarum, sicut ille rex posset prudentissime, et providentissime regnum suum gubernare, qui haberet, antequam aliquid decerneret, plenam et perfectam notitiam de omnibus mediis, et omnibus eventibus, qui succedent in quocumque ordine, et combinatione possibili, et cum hoc haberet omnem requisitam potentiam ad ponendum in executione quod vellet; tamen hoc quod ex parte videtur explicare magnam perfectionem providentiæ quoad effugandam ignorantiam, et fallibilitatem rerum gubernandarum modo creato, seu humano, ex alia parte evacuat, et funditus evertit vim providentiæ divinæ, ut divina, in causando, et ordinando, quæ providenda sunt, et in providentia divina quia suprema est, summa ratio causando debet reperiri.

Unde nostra sententia ex hoc solum deberet anteferri, quia conjungit utrumque in divina providentia, et loquitur ac sentit decentissime de illa, sicut de providentia divina sentire par est, nempe et quod sit summe ordinativa, et causativa rerum gubernandarum, quia non supponit determinatos jam esse eventus antecederet ad sua decreta, sed facit, et quod sit infallibilis, et summe certa in attingendo omnia, quia infiniti luminis est, et in manu sua habet ponere, et determinare quidquid eventurum est; et sic ex seipso accipit medium cognoscendi omnia.

Altera autem sententia deficit in duobus. Alterum est, quod supponit eventus omnes contingentes esse ex se, et ab intrinseca veritate determinatos, ut possint esse objectum scientiæ mediæ ante omne liberum Dei decretum, quod præcedenti tomo, disp. XIX et XX, late impugnatum est. Alterum est, quod istam determinationem eventus, qua unum-

quodque determinate suum finem consequitur, non reducit ad ordinationem, et causationem providentiæ divinæ ex parte ipsius providentis, sed quod omnia supponit ordinata, et successura ex propria et intrinseca ratione talis veritatis ante omne decretum, et sic prævisa, solum autem restat Deo per voluntatem suam consentire, ut talis vel talis res fiat, aut rerum ordo jam aliunde ordinatus ponatur in esse, quod est solum purificare conditionem, et ut merum executorem producere, quod ab alio ordinatum supponitur, seu determinatum videtur, non ex ordinatione, et arbitrio proprio res illas determinatas, et ordinatas reddere, et causare, quod est magnæ imperfectionis in summa, et prima providentia.

XXI. Si autem ex arbitrio et decreto seu ordinatione Dei eventus illi determinandi sunt, et ordinandi, ut in hanc partem potius quam aliam eveniant, non autem debent supponi ex sola præscientia Dei omnia prævisa ut determinata ante omne liberum decretum ipsius Dei, necessario consequitur, quod aliqua cognitio debet dari in Deo ordinativa, et provisiva ex aliqua voluntate præsupposita, saltem circa finem quem intendit, et non debet providentia denominari solum ex voluntate consequente ipsam Dei. notitiam. Etenim tunc determinatio illorum eventuum dependet ex voluntate Dei libera, et non habetur antecederet ad omnem voluntatem. Voluntas autem Dei operatur ex fine, quia non fortuito, nec temere facit nec inordinate; voluntas autem ordinate, et rationaliter procedens prius vult finem, et ex fine ea quæ sunt ad finem: ergo cum ille eventus in re ponendus debeat decerni et determinari a Deo, oportet quod ex aliquo fine determinetur et non sine illo: ergo ex præsupposita voluntate aliqua, sal-

tem circa finem, debet procedere ordinatio, et notitia illa qua Deus per intellectum etiam ordinat, et providet de eventu sic, vel sic determinando, præsertim cum sæpius determinetur hoc ex convenientia ad finem, et ex præsuppositione volitionis ejus, non absolute propter se.

XXII. Nunc restat illud sed unum dictum supra positum, ostendere quod videlicet supposito actu ordinativo mediorum post voluntatem finis, non debet providentia consistere in sola ordinatione consilii aut judicii antecedentis ad electionem mediorum, sed in actu ordinativo executionis, quod sequitur post electionem, et nos vocamus imperium. Et quidem cum hoc præcipue probari debeat ex ipsa efficacia perfectæ providentiæ, quæ stare non potest sine ordinatione præceptiva, quæ respicit executionem, ut facilius videri potest ista probatio in ipsa prædestinatione, quæ est specialis providentia, quia semper habet certam assecutionem, et executionem finis, et hoc addit supra providentiam communem, ut dicit S. Thomas q. VI de verit. art. I, quam in ipsa providentia communi, quæ non semper executionem, et effectum habet, quia hoc ipsum ordinat aliquando providentia, ut effectum in aliqua executione non habeat.

XXIII. Nihilominus tamen in D. Thomæ sententia et generaliter, probanda est hæc pars tam de providentia communi, quam de prædestinatione, quod consistant in actu præceptivo, seu ordinativo executionis, et non solum in actu antecedente ad electionem, sicut est consilium, et iudicium de agendis. Nam in primis S. Thomas agens de prudentia in communi, ostendit quod ejus principalis actus non est consilium aut iudicare de agendis, quod præcedit electionem, sed præcipere,

qui est tertius actus quo consiliata, et iudicata applicat ad opus. Verba ejus sunt 2-2, q. XLVII, art. VIII: « Ille est præcipuus actus prudentiæ, qui est præcipuus actus rationis agibilium, cujus quidem sunt tres actus, quorum primus est consilium, quod pertinet ad inventionem: secundus est, iudicare de inventis, et hoc facit speculativa ratio: sed practica ratio, quæ ordinatur ad opus, procedit ulterius. Et est tertius actus ejus præcipere, qui quidem actus consistit in applicatione consiliorum, et iudicatorum, ad operandum. Et quia iste actus est propinquior fini rationis practicæ, inde est, quod iste est principalis actus ratione practicæ, et per consequens prudentiæ. » Ita D. Thomas loquens de prudentia in communi, et sicut reperitur in nobis, quæ in Deo formaliter invenitur, sicut sapientia et alia attributa, licet semotis imperfectionibus quæ in nobis sunt: nam etiam Deo attribuitur prudentia in Scriptura, sicut et sapientia, Proverb. III: *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit celos prudentia.* Est ergo in Deo formaliter, et vere prudentia. Ne autem fiat vis in eo quod dicatur prudentiam quidem esse præceptivam, sed non ostendi quod etiam providentia in actu præcepti consistat, quia providentia est pars quædam prudentiæ, non autem omnes partes prudentiæ actum præcepti important, debet adverti, quod D. Thomas eadem 2-2, quæstione XLVIII, articulo unico tractans de partibus prudentiæ, numerat octo partes integrales ejus: « Quinque, quæ pertinent ad prudentiam secundum quod est cognoscitiva, scilicet memoria, ratio, intellectus, docilitas, et solertia: tria vero pertinent ad eam secundum quod est præceptiva, applicando cognitionem ad opus, scilicet providentia, circumspectio, et cautio. »

Et infra: « Ratio ad hoc quod recte præcipiat, tria debet habere; primo quidem ut ordinet aliquid accommodatum ad finem, et hoc pertinet ad providentiam: secundo, ut attendat circumstantias negotii, quod pertinet ad circumspectionem: tertio, ut vitet impedimenta, quod pertinet ad cautionem. » Ergo D. Thomas providentiam constituit in actu præceptivo, secundum quod ordinat aliquid accommodatum in finem, quod utique pertinet ad actum intellectus.

XXIV. Loquens autem D. Thomas de providentia quæ in Deo est, expresse ponit illam in actu præceptivo, ut patet in hac quæstione xxii, art. 1 ad 1, ubi inquit: « Licet consiliari non competat Deo, secundum quod consilium est inquisitio de rebus dubiis, tamen præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo, juxta illud Psalmi: Præceptum posuit, et non præteribit. Et secundum hoc competit Deo ratio prudentiæ et providentiæ. » Et solutione ad tertium: « Providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem. » Et loquens de prædestinatione hic articulo quarto dicit, quod: « Prædestinationis est pars providentiæ, providentia autem sicut et prudentia est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem, ut supra dictum est. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Unde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem quod Deus illorum velit salutem. » Ergo secundum D. Thomam prædestinatio debet constitui in actu præcepti, qui oritur ex priori voluntate præsupposito volente finem, et sic non debet esse ille prior actus intellectus mo-

vens ad finem, vel solum judicans aut consilians de mediis, sed etiam præcipiens.

XXV. Et fundamentum hujus sumitur ex dictis, quia ad providentiam perfectam pertinet non solum disponere et ordinare de mediis ut a voluntate sint volita, et amata, quod fit per electionem, sed ut de facto et secundum usum eorum ad extra finem assequantur: ergo non sufficit ordinatio quælibet disponens voluntatem ut eligat, et ante electionem sistens, sed requiritur ordinatio applicans ad executionem, et assecutionem ipsius finis, ut assequendus est ad extra, quod pertinet ad aliquem actum post electionem, et non ante, quia post illam sequitur executio, et assecutio ad extra. Antecedens est certum, quia providentia et gubernatio non ordinatur solum ad ea quæ intra nos manent, sed ut ea quæ extra nos sunt debite disponantur et ordinentur ad fines suos, et debite executioni tradantur, sicut videmus in gubernatione politica, aut œconomica, et in quacumque alia quæ versatur erga subditos: hæc enim ordinare debet de his quæ extra nos sunt: ergo non debet solum disponere quod media eligantur aut amentur, quod pertinet ad actus immanentes inter nos, sed quod applicentur et tendant ad executionem externam, usque ad assecutionem finis, et quod vincantur difficultates, et tollantur impedimenta, quæ in externa executione offerri solent, quæ maxima sunt, et majorem postulant conatum et ordinationem. Et licet Deo nihil sit difficile et arduum respectu ipsius operantis, tamen ex parte objecti, et assecutionis finis in se multa se offerunt vincenda, quæ Deus non tollit cæco et naturali impetu, sed ordine et ratione et providentia, juxta quod dicitur Judith ix: « Tu fecisti priora, et illa post illa exco-

gitasti, et id factum est quod ipse voluisti: omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, et tua judicia in tua providentia constituisti. » Consequentia vero probatur, quia omnis ordinatio intellectus si tantum sistat in electione, et amore ad intra, manet frustrabilis, et subjecta inefficacitati, nisi transeat ad executionem ad extra, et ordinet de his quæ ad executionem requiruntur, cum constet plura bene eligi, et amari, et consiliari, et deficere in executione propter defectum applicandi et imperandi: ergo oportet quod ordinatio provisiva, et ad executionem tendens, non sistat in electione, sed ordinativa sit de executione et applicatione, quod est esse præceptivum post electionem. Et licet electio divina, et consilium semper habeat infallibilitatem, juxta illud Isaïæ xlvi: *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*; tamen hoc non ideo est, quia non habeat actum ordinativum de executione et applicativum ad opus per præceptum, sed quia non habet illud ex additione novæ notiæ et novæ excogitationis et inventionis, sicut nos, sed per certitudinem ex se.

XXVI. Et confirmatur hoc totum ex efficacia divinæ providentiæ et prædestinationis, qua posita intentione finis et electione mediorum, oportet quod ordinatio ad applicandum, et exequendum sit efficax, alias deficere poterit ab assecutione finis, si caruerit efficacia; sed providentia respicit assecutionem finis, non electionem tantum aut amorem internum, quia ad hoc non multa providentia opus est, nec ille diceretur prudenter, et bene gubernare, qui tantum sisteret in disponendo atque ordinando electionem, et amorem internum, nihil curando de externa applicatione, et executione rerum. Si ergo gubernatio et providentia maxime attendit, et

versatur circa usum externum et applicationem mediorum ad consecutionem finis, et ut effectum sortiatur (in quo perficitur et completur gubernatio) petit efficaciam in ipsa ordinatione applicativa ad opus, in eo maxime debet consistere providentia, ubi inveniatur ordinatio de applicatione ad opus, quæ ipsum exercitium et assecutionem respiciat, quod utique est post electionem, quia tunc incipit applicatio ad opus. Et quidquid sit, tamen ante istam ordinationem de applicatione mediorum ad executionem et assecutionem finis, non potest dari providentia ut gubernativa exteriorum, et non tantum sistens in electione interna. Nec providentia ista erit perfecta et completa, nisi in ista ordinatione sic gubernativa efficaciam habeat, quia si caret illa, non curat de effectu, sed frustrabitur; providentia autem frustrabilis imperfecta est. Consistit autem unaquæque virtus, ubi consummatur, et perficitur: ergo si in ista ordinatione præceptiva et applicativa ad extra cum efficacia perficitur providentia ut gubernativa exteriorum, ibi consistet. Quod vero non sufficiat efficaciam sequi ad actum intellectus ordinativum, sed requiratur aliqua efficacia antecedens, patet ex dictis, quia ista ordinatio est applicativa ad executionem mediorum: ergo supponit antecedenter totum affectum voluntatis ex parte intentionis circa finem, et circa electionem mediorum: prior est enim intentio executione: ergo non potest ista ordinatio de executione antecedere omnem affectum voluntatis et efficaciam ejus, etiam ordine usum, seu ipsam ultimam voluntatis applicationem, quia ordinat, et disponit de illa: ergo antecedit.

XXVII. Dices: Non omnis providen-

tia est assecutiva finis efficaciter, etiam in Deo: nam in hoc distinguitur providentia communis a prædestinatione, quod hæc semper sortitur effectum, non illa, ut docet S. Thomas quæst. vi de veritate, art. i. Et est de se manifestum, quia datur providentia communis reprobis, et prædestinatis in genere supernaturali, et pro reprobis frustratur effectu, in prædestinatis vero semper impletur: ergo non omnis providentia consistere debet in actu præceptivo efficaci, alioquin omnis providentia impleretur.

Respondetur quod in providentia divina vel possumus considerare finem universalem providentis, vel finem particularem alicujus rei provisæ. Nam ipse providens, qui est Deus, habet multos ordines rerum, quibus omnibus providet sub universalissimo fine suæ bonitatis, ut representabilis in toto ordine hujus universi. Et hoc modo providentia divina semper impletur, quia non possunt res provisæ exire terminos hujus universalissimi finis et ordinis. Et hac ratione dicit S. Thomas in hac prima parte, quæstione xix, artic. vi, quod: « Voluntas Dei in quantum universalis causa semper impletur: quod enim recedere videtur ab uno ordine, relabitur in alium. » Unde etiam quando aliquæ causæ particulares frustrantur suo effectu, non frustratur providentia Dei suo intento, quia non erat intentum Dei, quod illa causa effectum haberet, sed quod haberet ordinem ad effectum, et inclinationem, non tamen eventum, sed quod impediretur. Et utrumque horum consequitur providentia; nam et causæ inclinationem seu ordinem habent ad suos effectus, et aliæ causæ impediunt impedimentum consequuntur, et utrumque est sub universali potestate Dei. At vero si loquamur de fine particulari alicujus

causæ, seu rei provisæ, et non solum de fine universali ipsius providentis; sic aliqua providentia non semper implet effectum suum per comparisonem ad illam causam particularem tantum, alia vero providentia implet, sicut providentia dandi Adam statum innocentiae, et posteris ejus, non est impleta quoad illum particularem ordinem, et providentia dandi gratiam reprobis non sortitur finem, qui est gloria in ipsis. Et secundum hanc considerationem distinguit D. Thomas prædestinationem a generali providentia, quod illa semper et efficaciter suum finem sortitur, non ista, loquendo de fine secundum unum particularem ordinem, et secundum quod est particularis finis, et particulariter intentus pro istis personis, seu causis particularibus, v. g. ut isti consequantur gloriam: in hoc enim fine particulari consequendo prædestinationis est efficax, providentia autem generalis, non pro omni fine particulari consequendo efficax est.

XXVIII. Dices iterum: Non probari a nobis quod prædestinatio pro imperio efficaci et actu ordinativo executionis sit necessaria absolute, et simpliciter, ut aliquis salvetur, sed solum ut plures salventur, vel ut expeditius et convenientius: de se enim videtur sufficere providentia generalis cum sufficientibus auxiliis cooperando illis.

Respondetur aliquos ita sensisse, licet ex diversis motivis. Massilienses enim in epistolis Prosperi et Hilarii ad Augustinum dicitur, sentiebant aliquos posse salvari, qui ab æterno in illo numero inclusi non sunt. Catherinus vero libro tertio de prædestinatione, distinxit duos ordines prædestinatorum: alios eximiae sanctitatis, et hos dixit ab æterno esse præparatos, et prædestinatos; alios vero non ita peculiaris sanctitatis posse salvari, licet ab

æterno non sint prædestinati. Et solum de primis intelligit ea loca Scripturæ quæ dicunt prædestinationem et electionem esse ab æterno. Motiva autem tam Catherini, quam Massiliensium fere sunt eadem, nempe quia injicitur hominibus veluti quædam desperatio, si illi solum consequi possunt salutem, qui prædestinati sunt, et sic frustra essent exhortationes et correptiones, si illa dispositio est infallibilis, imo esset tollere a reprobis moralem potentiam suæ salutis: nec enim possunt illam consequi contra prædestinationem Dei, nec dicentur habere omnia requisita ad salutem: deest enim illis prædestinatio; præterquam quod liberum arbitrium videtur destrui, si hæc infallibilis destinatio humanas prævenit voluntates. Alii vero auctores hoc tempore sentiant providentiam generalem dandi sufficientia auxilia et communia reprobis ac prædestinatis reddi specialem prædestinationem ex sola præscientia qua iste etiam cum eadem gratia videtur consensurus præ alio, sine ulla alia prædefinitione speciali, quod sensit Molina, aliique negantes divinas prædefinitiones requiri ad nostros actus liberos, contra quos agemus sequenti articulo sicut etiam disputatione octava ostendemus, etiam comparationem nostram ad gratiam esse effectum prædestinationis, non rem præsuppositam.

XXIX. Contra Massilienses vero, et Catherinum apertissima sunt testimonia Scripturarum: dicitur enim Matth. xxv: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi*: sed hoc dicit Christus ad omnes electos suos sive majoris, sive minoris sanctitatis, scilicet ad omnes illos qui a dextris suis erunt: ergo omnibus illis paratum est regnum ab æterno: ergo prædestinatum. Similiter i ad

Cor. iii, dicitur: *Oculus non vidit, etc. quæ præparavit Deus diligentibus se*; sed omnes qui salvantur debent esse diligentes Deum, sive magis, sive minus sancti nam: *Qui non diligit, manet in morte*: ergo omnibus præparata sunt bona cælestia: ergo omnes qui salvantur sub præparatione, seu prædestinatione Dei includuntur. Et ad Ephes. i: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ*: sed omnis qui salvatur debet esse filius Dei per adoptionem, quia, ut dicitur Joan. i: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*: et Rom. viii: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*: ergo omnes qui salvantur prædestinati esse debent, utpote filii adoptionis. Ac denique Rom. viii: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui*: quicumque autem salvatur debet esse conformis imagini Christi: *Sicut enim portavimus imaginem terreni, sic portemus et imaginem cælestis*, i Corinth. ix, ergo omnes qui salvantur sunt prædestinati. Unde Augustinus libro de fide ad Petrum, cap. xxxv: « Firmissime, inquit, tene et nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ Deus fecit ante constitutionem mundi, prædestinatos a Deo, nec quempiam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari. » Et ratio est manifesta, quia nullus salvatur nisi gratuito Dei beneficio: *Gratia enim Dei vita æterna*, Rom. vi. Hoc autem gratuitum beneficium non datur, nisi cui Deus voluit et paravit, non paratum, nec vult, nisi ab æterno: nec enim in tempore incipit aliquid velle aut disponere: ergo habet præparationem ab æterno, et hæc est prædestinatio.

XXX. Motiva autem Massilien-